



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Thomas Ap. 21. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

gnum quidquam Christiano admitteret. Hoc ipsum verò cum oculos non posset fugere spectatorum, vulgum scilicet in se armarunt. Tum verò nihil dissimulandum amplius rati, in medium omnes prodierunt, & Christum jam pleno etiam ore confessi populum omnem in stuporem raperunt, socios contra tyrannum mirum quantum animarunt, ipsi verò gaudio exilierunt, quòd cæli civem, hoc est Martyrem, servassent. *Ex epist. Dion. Alex. apud Euseb.*

Quo, queso, dignum te judicabis, qui factus ad imaginem factoris tanta in te majestatis non defendis dignitatem? & tu homo, cum in honore esses, honorem tuum non intelligens, comparavis jumentis insipientibus, dum nil spirituale aut æternum elaboras? S. Bern. epist. 104.

S. THOMAS AP. 21. Decembris.

DIVUS THOMAS est, cui etiam palpare fidem licuit; & profuit, dubitasse THOMAM, ut Indus crederet. Nam fidem in Indiam Meliaporem usque tulit, firmavitque miraculo, cum ingenti mole arborem, & quam multi & homines & elephanti movere loco frustra laborarant, obsequentē ipse cingulo suo per milliaria x. tractam templi structuræ devovit, simulque vaticinium edidit, cum mare pertingeret illuc, affuturos, qui quam ipse nunc fidem prælucere, extinctam iterum populis accenderent; quod fieri nuper subceptas Hispanorum navigationes vidimus. Ceterum fuit è sacrificulis tum temporis, qui suâ manu filium mactavit, scelusque THOMÆ affinxit. Hic alium nullum pro se causam dicere THOMAS voluit, præter infantē mortuum. quis credat?
Absolvit

Absolvit disertis verbis infans THOMAM, & patrem suum damnavit. Enimverò his miris uti nuper arborem, ita nunc in sententiam Regem ac populum omnem traxit, si unos sacrificulos demas, qui aliò ab invidiâ abstracti precantē ante sacram crucem THOMAM sagittis primò, tum hastâ trajecerunt, strenuum utique fidei propugnatores, qui, ut signa defenderet, cecidit ante signa. *Ex Maffeo & Osorio.*

Sicut Thoma, ita etiam inimicis suis demonstraturus est Christus vulnera, ut convincens eos veritas dicat, Videtis vulnera, qua inflixistis; agnoscitis latus, quod pupugistis; quoniam per vos & propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis. S. Aug. de Symbol.

S. ANASTASIA MART. 22. Decembris.

ANASTASIA è Romano & patricio sanguine patrem in fide agnovit S. Chryfogonum. Nupta viro (Publio nomen erat) à Christianâ religione alieno, matrimonii usu semper abstinuit, sive castitatis amore, sive superstitionis odio. Interea tamen mater pro Christo vincitorum audiebat, quos illa summis studiis ultimisque servitiis colebat, tunc præsertim, cum conjunx malus malam mortem obiit, qui carcere omnibusque malis, dum vixit, ANASTASIAM exercuit. Publio Ulpianus in impietate successit, sed quòd vim inferre castissimæ tentasset, oculis primò orbatus, mox vitâ ejectus, Publium ad orcum quoque subsecutus est. Sub hæc cum bene magnus numerus Christianorum in navim perforatam imponeretur, certo naufragio perituris dux ANASTASIA data est. Sed neque sic navigantibus sidera defuerunt. Visa est in velis D. Theodora nuper è flammis